



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

49. De censu temporali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

fiat; sed tunc, ratione talis conditionis venditorem onerantis, est augendum pretium pro pensione.

De censu temporali.

CAPVT XLIX.

Censum temporalem esse licitum, superius diximus, tam cum, qui ad tempus certum, quam qui ad incertum fit. In utroque id est necessarium: vt venditor non det pretium, peracto tempore, emptori: tunc non esset nisi mutuum cum lucro: redderet enim capitale cum lucro, quod est vsura. Non igitur debet obligari venditor, tale capitale reddere.

Debet etiam obseruari in temporali ad certum tempus, vt non detur pensio, ita vt omnes pensiones sumptæ simul excedant capitale, v. g. dedisti centum, vt tibi per decennium pensio detur, ista non potest esse vndecim, quia iam esset vsura virtualis, ac si dares centum, vt post decennium tibi darentur centum & decem, sed debes ad summum exigere decem. Ita dicitur lib. 6. q. 5. art. 2. & est communis opinio. In hoc casu liceret, eum pensio est incerta, quæ potest augeri & minui, vt, si exigeres fructus, qui aliquando decem, aliquando octo, aliquando duodecim valent, tunc, si casu plus valerent, exigere possent; cum verò tempus est incertum, non est id necessarium: nam sicuti est periculum pro vna parte, ita etiam est pro altera, quamuis semper sit attendendum, ne sit certius vnum, quam alterum: ibi enim iniustitia esset. Isti verò census temporales non sunt multum in vsu, & præsertim ad certum tempus.

Quid sit cambium, quot eius species.

CAPVT L.

Cambium est permutatio negotiatoria numismatis, pro numismate. In hac definitione tres sunt partes.

Prima est, *Permutatio*, hoc enim significat verbū cambire, vnum pro altero permutare.

Secunda est, *Numismatis pro numismate*. Non enim quælibet permutatio est cambium, vt in præsentī sumitur. Sunt enim tres species permutationis.

Prima